



## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. Quæ requirantur ad homicidium injustum directè voluntarium,  
eiúsque pænam incurrendam, & quæ pænæ jure sint decretæ in  
homicidas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Contra injustum in vasorem cum occasione illius legitime defendit, aliud verò est punitivum, quod publica auctoritate Magistratus fit, ad punienda delicta. Casuale denique homicidium dicitur, quod casu præter intentionem committentis, aut causam dantis contingit, & quidem si nullo modo sit voluntarium, ob nullam periculi fortassis prævisionem, & post sufficientem cautionem ad omne periculum avertendum adhibitam evenit, merè casuale dicitur, si tamen periculum prævisum est, cui non sufficienter cavebatur, casuale quidem dicitur, per accidens tamen, & indirectè volitum.

## §. II.

*Quæ requirantur ad homicidium injustum directè voluntarium, et quæ penam incurrendam, & quæ pena jure sint decreta in homicidas.*

**R**equiritur primò ut sit commissum per directam, ac expressam, & spontaneam voluntatem occidendi, vel in se, vel in sua causa, intendendo mortem alterius. Requiritur secundò ut mors actu & re ipsa sequatur, si enim mors non sequatur, sed per miraculum fortasse aliquid impediatur, pena ordinaria homicidij non incurritur, cum pena à jure decreta perfectum, & consummatum actum requirat, ut incuratur, nisi aliud in ipso jure expressum sit.

Sunt autem penæ in tales homicidas de jure canonico (quod enim statuat jus civile, Civilistæ se docebunt) statuta: excommunicatio (quæ mortis nomine in jure canonico venit, quia mortem

animæ affert) irregularitas, & si Clericus sit, qui homicidium dicto modo commisit, deponendus est ob ordinem & officio, & post depositionem in actum Monasterium (juxta antiquos jura) detrudendus est, ad agendam penitentiam, vel ut volunt aliqui juxta hodiernam consuetudinem, ad triennes mittendus in perpetuum, vel ad tempus, pro diversitate homicidij, & penitus est omnibus beneficiis Ecclesiasticis, si quæ habeat, neque potest etiam post peractam penitentiam in ecclesiis susceptis ministrare, &c. attendendo tamen in his, ac alijs penis, alias etiam circumstantias, quæ mitiorem nonnunquam cum hoc, quàm cum alio, procedendi modum requirunt.

## §. III.

*Quisnam tum in genere tum in specie propter homicidium voluntarium & injustè commissum irregularitatem incurrat aut alias penas, in jure latas contra homicidas.*

**I**n genere dici potest, quod illi irregularitatem hanc incurrant, qui per seipso taliter injustè occidunt alios (cum hi vel maximè sint homicidæ) vel qui causam mortis alteri præbent cum intentione occidendi, cum damnum dedisse merito censetur, qui causam efficacem damni dedit cum intentione peccandi. In specie verò irregularitatem hanc incurrit, primò qui factis jam animati abortum procurat, sicut in h. r. quia qui factum animatum occidit, utique homicida est. Secundò qui lethaliter alium percussit, etiam si hic ab alio